

*Carlo l'Illustre concede a Guglielmo
Ruffo e alla moglie Caterina
Crispai una pensione annua*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Carlo l'Illustre concede a Guglielmo
Ruffo e alla moglie Caterina
Crispai una pensione annua*

1318-07-18

Carolus Illustris, Hierusalem et Sicilie Regis Roberti primogenitus Dux Calabrie, ac eius in Regno Sicilie Vicarius Generalis, universis presentes litteras inspecturis, tam presentibus quam futuris.

Satis digne credimus agere sit benemeritis providemus, quia dum munificentiam nostra gratanter extenditur, fides obsequentium promptius ampliatur. Sane attendentes grata plurimum et accepta servitia que Guglielmus de Sinopolo, cambellanus et familiaris noster, et Catharina, uxor eius, cambellana Ducisse Calabrie consortis vestre nobis, et ipse Ducisse actenus prestiterunt, prestant ad presens, et in futurum prestare poterunt gratiora. Coniugibus ipsis, et ipsorum Heredibus, ex eorum corpore legitime descensuris, annum redditum Unciarum auri viginti assignandum in bonis feudalibus terrarumstrarum omnium quas habemus ad presens que de mero nostro Demanio non existant quam primum ad id obtulerit se facultas; itaquod unus dictorum coniugum succedat alteri, si premoriatur, eidem in bonis iam dictis donamus, tradimus, et assignamus proprio motus instinctu de liberalitate mera, et certa nostra scientia, et gratia speciali coniugibus ipsis, pro se, et dictis eorum Heredibus modo predicto exhinde per nostrum anulum presentialiter investitis. Quam investituram, vim, et rigorem vere traditionis volumus obtinere, cum contractus principum vicem legis censeantur habere, et stabilitate perpetua sint mansuri. Tenore presentium declarantes, et decernentes expresse quod presens nostra provisio, facta coniugius antefatis, omnibus aliis provisionibus, seu assignationibus nostris factis quibuscumque personis, vel faciendis imposterum sub quacumque forma, vel expressione verborum,

presertim preferatur, et locum obtineat potioem. Ita quidem quod si per oblivionem, vel aliam quamvis causam contingat annum redditum memoratum, vel partem ex eo per nos, vel Heredes et successores nostros alteri fortasse concedi, et assignavi in terris nostris eisdem, et eum cui concessio, et assignatio ipsa fieret ipsius annui redditus, seu partis, possessionem assequi. Reali traditione priorem per hec eisdem coniugibus, et eorum prefatis Heredibus nullum preiudicium generetur, quin presens nostre concessionis et investiture gratia in suo robore perseveret. Quibus de certa vestra scientia per alicuius preventionis solertiam, vel taciturnitatis astutiam nullius irrogari. Sic equidem quod postquam ipsi coniuges, vel Heredes eorum eundem annum redditum in terra, vel bonis ipsis, predistinto modo extiterint assecuti, terram, vel bona huiusmodi a nobis, nostrisque in terris eisdem heredibus et successoribus servire teneantur. De servitium proinde contingenti ad ratione de Unciis auri viginti valoris annui, pro integro servitium militari secundum quod est de usu et consuetudine Regni Sicilie. Interim vero, pendente assecuratione nostre provisionis eiusdem nolentes dictos coniuges carere ipsius provisionis, et gratie nostre fructu providimus noviter, quod prefatum annum redditum Unciarum auri viginti dicti ponderis generalis, a primo mensis Augusti prime inditionis, in antea numerando per manus Thesaurarii nostri, usque ad beneplacitum nostrum ... nostra recipiant de quacumque pecunia existente, vel futura per manus ipsius, singulis mensibus pro rata sicut acciderit indi late, et sine contradictione quacumque. Ita demum quod ubi predistintum annum redditum in terra, et bonis eisdem, vel aliis feudalibus quibuscumque ad manus Regie Curie devolvendis, si hec

a domino Patre Nostro obtinere potuerimus, extiterint
assecuti, presentes teneantur Literas resignare in nostre
Curie manibus lacerandas, ut tunc eis de concessione
terre, vel bonorum ipsorum privilegium nostrum, in
consueta et debita forma fiat.

In cuius rei testimonium presentes Literas fieri et
pendente sigillo Vicarie quo utimur iussimus communiri.
Datum Neapoli, anno Domini millesimo trecentesimo
decimo octavo, die decima octava, Iulii, prime inditionis.
Adest sigillum.

1

Il copista informa della presenza del sigillo vicariale sulla
pergamena originale